Quelle: http://manuscripta.at/?ID=376
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



die mensis primi. Purificati enim fuerant
sacerdotes et leuite quasi unus omnes
mundi ad immolandum pascha uniuer-
sis filiis transmigrationis. et fratribus
suis sacerdotibus. et sibi. et comederunt
filii israel qui reuersi fuerant de transmigra-
tione. et omnes qui se separauerant
ab abominatione gentium terre ad eos.
ut quererent dominum deum israel. et fecerunt
sollempnitatem azimorum .vii. diebus
in leticia. quoniam letificauerat eos dominus.
et conuerterat cor regis assur ad eos. ut
adiuuaret manus eorum in opere
domus domini dei israel. VII.
Post hec autem uerba in regno
artaxersis regis persarum. esdras
filius saraie. filii azarie. fi-
lii elchie. filii sellum. filii sadoch. fi-
lii achytob. filii amarie. filii azari-
e. filii maraioth. filii zaraie. filii
ozi. filii bocci. filii abysue. filii phi-
nees. filii eleazar. filii aaron sac-
erdotis ab initio. Ipse esdras ascendit
de babylone. et ipse scriba uelox in
lege moysi. quam dedit dominus deus
israel. et dedit ei rex secundum manum domini
dei eius. bonam super eum omnem
peticionem eius. et ascenderunt de filiis
israel. et de filiis sacerdotum. et de filiis
leuitarum. et de cantoribus. et de ianito-
ribus. et de nathinneis in ierusalem anno
vii. artaxersis regis. et uenerunt in
ierusalem mense .v. ipse est annus .vii.
regis. Quia in primo die mensis primi.
cepit ascendere de babylone. et in pri-
ma die mensis quinti. uenit in
ierusalem. iuxta manum domini dei sui.
bonam super se. Esdras autem parauit
cor suum. ut inuestigaret legem domini.
et faceret. et doceret in israel preceptum et iu-
dicium. Hoc est autem exemplar
epistole edicti. quod dedit rex artaxerses.
esdre sacerdoti et scribe erudito in ser-
monibus et preceptis domini. et cerimoniis
eius in israel. Artaxerses rex regum

esdre sacerdoti et scribe legis dei celi doc-
tissimo salutem. A me decretum est.
ut cuicumque placuerit in regno meo de
populo israel et de sacerdotibus eius. et de leui-
tis ire in ierusalem. tecum uadat. A facie
regis enim et vii. consiliatorum eius. missus
es. ut uisites iudeam. et ierusalem. in le-
ge dei tui. que est in manu tua. et ut
feras argentum et aurum. quod rex et con-
siliatores eius sponte obtulerunt deo is-
rahel. cuius in ierusalem est tabernaculum.
et omne argentum et aurum. quodcumque
inueneris in uniuersa prouincia ba-
bylonis. et populus offerre uoluerit. et de sa-
cerdotibus qui sponte obtulerint do-
mui dei sui. que est in ierusalem. libere
accipe. et studiose eme de hac pecu-
nia uitulos. arietes. agnos. et sa-
crificia et libamina eorum. et offer
ea super altare templi dei uestri. quod est
in ierusalem. Sed et siquid tibi et fratribus tu-
is placuerit de reliquo argento et
auro ut faciatis. iuxta uolunta-
tem dei uestri facite. Uasa quoque que
dantur tibi in ministerium domus
dei tui. trade in conspectu dei in ierusalem.
Sed et cetera quibus opus fuerit in domo
dei tui. quantumcumque necesse est ut expen-
das. dabis de thesauro. et de fisco
regis. Et a me ego artaxerses rex
statui atque decreui. omnibus custo-
dibus arche publice. qui sunt trans
flumen. ut quodcumque pecierit a nobis
esdras sacerdos scriba legis dei celi.
absque mora detis usque ad argenti
talenta .c. et usque ad frumenti choros
.c. et usque ad uini batos .c. et usque
ad batos olei .c. sal uero absque men-
sura. Omne quod ad ritum dei celi
pertinet tribuatur diligenter in domo
dei celi. ne forte irascatur contra reg-
num regis. et filiorum eius. Uobis
quoque notum facimus de uniuer-
sis sacerdotibus. et leuitis. cantoribus
et ianitoribus. et nathinneis et mi-

Scisma in instauracione